



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

Tractatus X. De stimulis Conscientiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

## TERTIVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ.

Reprehendere voluntatem de malè actis.

## TRACTATUS X.

## DE STIMVLIS CONSCIENTIÆ.

Tribulatio & angustia in omnem animam operantem malum. *Ad Rom. 2. v. 9.*

*Quomodo Conscientia voluntatem peccantem arguat, & castiget per immisos stimulos & aculeos. Explicatur quam grauis hæc sit pœna; quid sint hi stimuli; quæ eorum effecta; quandonam à Deo, quando à naturâ aut Diabolo excitentur. Denique his exsurgentibus quid sit agendum.*

## P R O O E M I V M.



*Conscientia  
ut Pædago-  
gi partes a-  
gat, debet  
auctoritatē  
habere re-  
prehenden-  
di, sicut ha-  
bet laudan-  
di.*

Uòd si Conscientia, cui tota à Deo, veluti Pædago-  
gogo, commissa est animæ directio & gubernatio,  
voluntatem benè agentem, hoc est, ad Con-  
scientiæ libellam & amissim actiones suas exigentem  
& componentem, laudibus pro suo munere  
debeat extollere; eamque lætitiâ & tranquillitate  
animi, tamquam præmio, pro re benè actâ soleat afficere;  
hæc enim virtutis in hoc orbe sunt præmia, vti magnus testatur Apo-  
stolus: *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum*: sanè vt  
munere Pædagogi fideliter Conscientia defungatur, non laudibus  
tantummodò agendum dum res acta est benè; verùm & eâ debet  
auctoritate pollere, vt à recto tramite exorbitantem, actiones, in-  
quam, suas, peruersè instituentem voluntatem, reprehendere  
possit

*Ad Rom.  
2. v. 10.*



possit liberè, & officii malè impensè commonere. Hoc Pædago-  
go si non datur, nihil agitur; neque eius curæ commissus cliens,  
eius præcepta multùm reueretur; imò ne laudantis quidem ora-  
tionem magni faciet, à quo reprehendi minimè metuit, aut quia  
hoc ei à parente concessum non est, aut quòd ad castigandum  
puerum Pædago non est animus. Neutrum profectò deest Con-  
scientiæ: magna enim ei à Deo hæc in parte data est auctoritas;  
munusque suum exercet sanè intrepide: nescit adulari si agas  
malè: omnesque si tibi abblandiantur, & quod nefariè factum  
est excusent; ipsa tamen sententiæ suæ inhæret mordicus, malè  
agentem vellicat, pungit aculeis, stimulis excitat, vrget, torquet,  
donec officio factum sit satis, & aberrantem animum ad honesta  
& recta detorqueat. Magnam enim uerò Conscientiæ offensæ vini!  
De stimulis itaque quibus animum vrget Conscientia, agendum  
est modò; exponendumque non indiligenter, quid demùm sint  
hi aculei; quàm acerbè vrant; quos in vñus adhibeantur à Con-  
scientiâ; vnde dignosci possit an à Conscientiâ, à Deo inquam,  
immittantur, an à Dæmone; deniq; quid animæ agendum sit, dum  
stimulis à Conscientiâ ad officium perurgetur.

## §. I.

*Ex acrimoniâ stimulorum quos peccatoribus admouet Conscien-  
tia, rectè colligitur esse aliquod supremum Numen,  
cuius auctoritate hæc fiant.*

1. **A**lia vt deessent, quæ humanis rebus Numen aliquod esse su-  
perius liquidò demonstrant; illudque auctoritatis tam exi-  
miæ, vt ei rerum omnium in hoc orbe gestarum ratio vltima ali-  
quando tandem danda sit; cætera, inquam, quamuis argumenta  
non suppeterent, tamen interiores illi aculei, quibus scelerati ho-  
minis mens peruritur, acerbissimeque distorquetur, præsertim  
dum pudendo crimine sese innexuit, Majestatem illam supre-  
mam, eximiamque occulti Numinis jurisdictionem, mihi fa-  
ciunt omnimodò manifestam. Quod vt exactè probem, & ve-  
rò euincam, ratiocinationem sic instituo. Vos date si placet au-  
dientiam.

O o

Impri-



*Cruciatu  
Conscien-  
tia sunt ex-  
quisitissimi.*

Imprimis istud attendo, eximios esse inexplicabilesque crucia-  
tus, quibus animam sceleris ream irit Conscientia; adeo ut com-  
munis sit Sanctorum Patrum sententia, non aliud in hâc vitâ  
tormentum maius homini posse admoueri, quàm quo sæpenume-  
rò Conscientia mentem torquet; nullumque pro iudicum foren-  
sium tribunalibus acerbiorẽ esse equuleum, quo scelerati tor-  
queantur immaniùs, quàm ea quæ in hoc domestico Conscientiæ  
tribunali præsto est carnificina. Minimè id quidem dubium est  
D. Ambrosio. *Que pœna, inquit, grauior, quàm interioris vulneris  
Conscientia? Quod seuerius iudicium, quàm domesticum quo unus-  
quisque sibi est reus?* Non dico tamen tormenta eiusmodi semper  
à Conscientiâ adhiberi, eaque peccatorem re ipsâ semper affice-  
re: instituto meo sufficit, ad manum esse Conscientiæ pœnas  
eiusmodi, stimulosque tam terribiles, iisque sceleratam animam  
sæpissimè excarnificari.

D. Ambr.  
l. 3. offic.  
c. 4.

*Ab aliqui-  
bus dicitur  
pœna infer-  
ni in his  
consistere.*

Atque ut tormenti huius acerbiteriam meliùs exponam, non  
diffitebor Theologos esse præclaros, qui non improbabilè ratione  
contendere se credunt, inferni tormenta ut plurimum in hâc  
Conscientiæ carnificinâ consistere: ignemque æternum, Con-  
scientiæ vermen esse, quo infelix anima semper arroditur & per-  
uritur. Verùm quamuis ad metaphoricum ignem, veras inferni  
flammas detorquere sit planè temerarium, tamen istud etiam  
certum est, inter varia quæ in infelici carcere sunt tormenta, hoc  
præ aliis fore exquisitissimum. Nullum certè mihi videtur aptius,  
quo anima penitus torqueatur, & à quo acriorem dolorem perci-  
piat. Quid enim? nam ut ignis elementum sit edacissimum,  
nullumque dolentius; tamen corporeus cum sit, animam ipsam  
non potest affligere, nisi (ut in interno fieri docent præclarissimi  
Theologi) supra statum naturæ suæ eleuatus. Non enim secun-  
dum communem naturæ ordinem est, ut quod merè est corpo-  
reum, vim aliquam violentiamque spiritui imprimat. At verò  
Conscientiæ aculei, naturâ suâ spirituales cum sint, maiorem  
sanè habent aptitudinem, ut sese animæ penitus inserant, eiusque  
sinus acerbissime perscrutentur: ac propterea etiam crediderim,  
majorem iis inesse præ ipso igne, animæ torquendæ & perurgen-  
dæ acrimoniam. Quidquid sit; quamuis etiam cruciatu hi,  
ignis inferni tormenta non superent, tamen ingentes planè esse  
necesse est, cum iis non immeritò possint comparari. Et rursus

3.

*Vermis Co-  
scientia vi-  
detur aptior  
ad cruciã-  
dam ani-  
mã, quàm  
ignis.*

*Saltem om-  
nia tormẽ-  
ta huius  
mundi sã-  
pœna.*

si iis



si his non æquentur, sufficit mihi, vt acerbissimam crudelissimi ver-  
 mis demonstrarem, id quod discrete asserit D. Augustinus: *faltem*  
 D. Aug. in  
 Psal. 45. *inter omnes tribulationes humane anime, nulla maior est, quàm Con-*  
*scientia delictorum.*

4. Vt autem nemo mihi obijciat, Sanctorum hunc virorum esse  
 sensum tantummodò: eorum nempe, qui cum Deum tenerrimo  
 amore complectantur, ita etiam grauissimè cruciantur, dum tam  
 dilectum Numen offenderint; amoris itaque tormenta hæc esse  
 potius, quàm solius Conscientiæ. Hæc, inquam, ne quis oggerat:  
 video enim homines etiam sceleratissimos, in omnem audaciam  
 projectos, & quibus Deus nihil pensi est, acerbissimis tamen in-  
 tolerandisque Conscientiæ stimulis sæpissimè aduri, imò & ex-  
 carnificari in modum maximè miserandum. Non est quòd pluri-  
 bus id confirmem; plenæ sunt Sacræ profanæque historiæ. Lu-  
 theri tamen testimonium non est quod dissimulem. Exuerat sce-  
 leratum caput modestiam omnem & verecundiam; facti profa-  
 nique, Dei & hominum, apud eum contemptus par; reuerentiam  
 omnem pudoremque, naturæ frænum, penitus excusserat: non po-  
 tuit tamen eheu infelix, Conscientiæ suæ vermem extinguere:  
 quem nihilominus hausto effusè vino, largis poculis, insanisque  
 commestationibus nitebatur quotidie aut diluere, aut etiam si  
 fieri posset suffocare. Nequidquam omnia. Caterum, hominem  
 ferocem, qui que nec Principum imperio, nec rationum pondere,  
 nec Pontificum auctoritate, nec Dei legumque reuerentiâ domari  
 poterat, aut ad scelerum pœnitundinem reuocari, à suâ expugna-  
 tus est Conscientiâ; & qui omnia quantumcumque sana consilia,  
 reprehensionesque iustissimas hominum, per jocos summamque  
 impudentiam explodebat, Conscientiæ tamen, infumem vitam  
 redarguentis aculeos non potuit tolerare. Doloris intimi con-  
 fessionem expressit tandem tormentum domesticum, idque non  
 semel. Præcipue, inquit, vitæ tam infaustæ historicus accuratus  
 Vlenburgius anno 1527. eius hæc sunt verba. *Cum paroxismo*  
 Vlenburg.  
 in vita  
 Lutheri  
 o. 19.  
*captus manè, a prandio Pomeranum (fidem Achatem suæque per-*  
*fidia sectatorem egregium) vocauit; cui peccata confessus; dixit*  
*cruciatus animi quos manè passus fuerat, verbis non posse explicari.*  
*Addens: quia me hilarem non numquam exhibeo, putant me jucun-*  
*dam vitam ducere; sed Deus perspectam habet morum meorum ratio-*  
*nem. Sæpe proposui paulò maiorem austeritatem & sanctitatem, in*

*Etiã sceleratos acerbissimè cruciat.*

*Patet in Lutheri.*

*Lutherus fatetur voluisse se commendare, sed non potuisse.*



*gratiam hominum, prae me ferre; verum à Deo mihi donatum non fuit ut hoc exequerem.* Egregiam profectò desperati hominis penitentiam! in gratiam nempe hominum, non quidem agere quae sancta sunt, sed sanctitatem tantummodò praeferre voluit; & quod voluit, tamen non potuit. *Iustissimam enimvero peccati poenam,* inquit Augustinus, *ut qui rectè facere cum posset noluit, amittat posse cum velit.* Quamquam ne rectè quidem facere voluit miser apostata, qui tantummodò in gratiam hominum, sanctitatem nitebatur sceleribus dissimulandis obtendere. Verum id nunc non ago; istud placet modò advertere, ingentes esse proculdubio Conscientiae aculeos, quae ab homine malis omnibus indurato, sceleribusque innutrito, doloris tandem, licet naturalis, confessionem, tormentorum vi expresserint.

*Ne pagani quidem cum euadunt.*

Rursus autem ne mihi dixeris Lutherum, quamuis à verâ fide apostatam, Christianum fuisse nihilominus; & Deum licet non amarit, fide tamen cognouisse Numinis maiestatem, futuriq;ue iudicis potentiam: hoc autem fuisse quod exhorruerit; adeoque non mirandum adeò, Conscientiae stimulos tam acerbos quòd persenserit, cum scelerum Conscientia, diuinarum rerum fide fuerit intermixta. Fateor sic est. At verò ut rem meam promoveam, ostendamq;ue ex Conscientiae stimulis Diuinitatem agnosci posse, etiam si fidei Christianae lumine, homini ea non innotuerit; video paganos etiam homines, Ethnicos inquam, quibus nulla fidei lux affulsit, neque vlla Dei praeccepta aut voce aut scripto fuere proposita, stimulos hos non euasisse, ex iisque legem sibi impositam cognouisse. Legem autem si cognouerint, manifestum iam est, aliquam etiam Legislatoris auctoritatem agnouisse humanam maiorem, quaeque legitime posset & legem ferre, & de infraacta vindictam sumere.

*Probat ex D. Paulo.*

Diserte id me docet Gentilium Apostolus. *Gentes, inquit, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt. Quid deinde? Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente Conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus defendentibus aut etiam accusantibus.* Sentiant igitur, teste Paulo, Ethnici ipsi cogitationes, sese de sceleribus commissis accutantes & reprehendentes: atqui hi sunt Conscientiae aculei, ut mox dicam; illis ergo torquentur etiam ii, qui verum, prout est, Deum cæteroquin non agnoscunt. Et verò quid multis opus est?

Fatetur

D. Aug. l. 3. de lib. arb. c. 17.

5.

6.

Ad Rom. 2. v. 14. & 15.



Faterur hoc Conscientiæ ingens supplicium, Ethnicus quamuis Seneca *Prima inquit, & maxima peccantium est pena peccasse. Nec ullum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est: quoniam sceleris, in scelere supplicium est. Sed nihilominus & hæc illa, secunde pæne premunt ac sequuntur, timere semper & expauescere, & securitati diffidere.* Hinc rectè paulò antè dixerat, *Ita est: tuta scelera esse possunt, securi non possunt.* Nam vt omnes lateat commissum scelus, Conscientiam tamen non latet, sui ipsius carnificem & tortorem. Ita hic Ethnicus. Non possum hic non addere alterum Taciti etiam Ethnici de Ethnico Tiberio, & quidem ex Platone Ethnico testimonium. Postquam Tiberij Imperatoris, præ mærore insipientis penè, voces adduxit, subdit illicò Tacitus egregiè ad rem meam: *adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra prestantissimus Sapientie (nempe Plato) firmare solitus est; si recludantur Tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus; quando vt corpora verberibus, ita seuitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant; quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur.* En Conscientiæ, etiam in homine Diuinitatis veræ ignaro, formidandum planè supplicium.

imo & æ  
geniibus  
Seneca,  
Platoni &  
Tacito.

Sen.ep.  
97.

Tacitus  
init 10.  
1.6. Ann.

Plato 1.9.  
de Repu-  
blicâ.

7.

Qua cum ita sint, tantaque in sceleratos, Dei cæteroquin etiam ignaros, Conscientia exerceat supplicia, tum sic quidem rationem mecum instituo, quâ Diuinitatē aliquam humanis rebus maiorem, euidenter mihi videor eruere. Statuamus enim ingens aliquid pudentumque crimen commississe me, occultum tamen adeo, vt mihi certum sit, clâm id futurum omnibus, net vniquam propalandum; quod infinitis in euentibus accidere posse, in confesso est. Nihilominus subibit animum sceleris conscium immensus dolor, languor corporis, deliciarum omnium fastidium, tædium denique exosæ vitæ quo vigor omnis labescat, & corpus ipsum denique dissoluatur. Quod quidem sapiſſimè multis, & verò ipsi Tiberio accidisse in comperto est. Jam verò quid hocce rei est? cur hic tantoperè excrucior? Facti, inquis torqueris pudore & verecundiâ. Audio quidem, sed non satis id intelligo. Nam si pudor, vt passim definiunt cum D. Thomâ Theologi, sit *Timor ingloriationis*, nulla autem ingloriatio timeri possit, vbi scelus quod pudori sit

Hinc rati  
ex simi-  
li Con-  
scientiâ  
colliges  
esse Deum

Non entus  
aut facti  
verecun-  
diâ,

loup

O o 3.

aut



aut famæ officiat, numquam futurum est in propatulo; nescio sane quis pudor, aut quis infamiae timor mentem subire possit, ubi nullum infamiae est periculum.

Aut inquires, penes te ipsum stat infamia: iudicat enim Conscientia, sceleratè, & contra rationem egisse te. Fateor; at quid deinde? an idcirco perurgendus sum stimulis, & conficiendus mœrore improbo? Certè id præter rationem est, si nulla alia est dolendi causa, quam quod iudicem improbè fecisse me: nam si prout fateor, pessimè actum sit à me, istud video ratione sanâ à me etiam postulari, ut ne posthac amplius tali scelere me contaminem. Verùm cum id quod jam factum est, infectum fieri nequeat, quantumcumque me facti pœniteat; non est sanè rationi consonum, tantopere ut me cruciet, id quod infectum dare, in manu jam non est. Ita mihi quidem, dum rationem consulo, non ineptè videor argumentari & colligere.

Et tamen, ut jam ostensum est, & nemo negauerit, etiam ob occulta abstrusaque crimina, quæque infecta nequit reddere, sceleratissimus quisque facti pœnitentiâ tangitur; eorum dum reminiscitur, pudore suffunditur; & doloribus grauíssimis conficitur adeo, ut Conscientiam sese redarguentem sine summo tœdio ferre non possit: manifestum itaque est, non suas tantum partes agere Conscientiam, sed superioris cuiusdam Numinis; aliam huic negotio præter humanam sese jurisdictionem inferere; denique domesticum Conscientiæ tribunal, subalternum esse tantummodò, quod supremo cuidam subiaceat, & ad quod tandem referendum est, quidquid pro Conscientiæ tribunali fuerit iudicatum. Hinc illi stimuli, hinc accusantes illæ cogitationes, uti Paulus arguit, ostendunt opus legis scriptum in cordibus nostris, testimonium reddente Conscientiâ, legem esse aliquam quam infractam esse peccator adeo dolet; ac propterea Legislatorem humanis rebus longè excellentiorem cõfiteatur, cuius seueros oculos, justissimamque iram non immeritò reueretur. Numquam enim sine Legislatore lex: nec legitimus est Legislator, cui de neglectâ lege nefas sit inquirere, & reum pro meritis castigare.

Conscientiam itaque cum times, Deum times. Nam ut rectè Menander *Mortalibus omnibus Conscientia Deus est*, ideo quod eius partes vicarias pro numero sibi imposto agat legitimè. Hinc tanta est peccatoris ex scelerum recordatione verecundia; non quod

8.

9.

10.

aut facti  
Conscientia  
cruciare,

nisi esset  
Deus

cuius Ver-  
carius at-  
que oculis  
est Con-  
scientia.

000



quòd Conscientiæ redarguentis oculos & infamiam vereatur ; quid enim est à seipso quod timeat , aut se quod erubescat ? erubescit tamen , quòd in Conscientiæ oculis , Diuinos agnoscat , quorum illi sunt Vicarij . Hi sunt qui pudorem incutiunt , hi sunt qui metus faciunt , hi sunt denique qui facti pœnitentiam extorquent . Diuinum itaque quiddam est in Conscientiâ ; idcirco agit tam despoticè ; & cum torquet , punit tam seuerè . Nullum in iurisdictionis suæ partem admittit , nisi se . Nam vt rectè Bernardus , *omnium delictorum nostrorum ipsa testis , ipsa iudex , ipsa tortor , ipsa carcer : ipsa accusat , ipsa iudicat , ipsa damnat* . Hocine autem an est hominè , an verò Deum agere ? sanè quidquid id est , Diuinum est ; neque præter id quod Diuinum est , quidquam est in Conscientiâ , quod magnopere timeatur ; timetur autem , etiam ab insigniter sceleratis . Deum itaque hic inuenio , & in Conscientiæ torminibus , Diuinitatem intelligo . Ita age , inquit Augustinus , non multùm euageris , Conscientiæ adita tantùm subi , vide quid agatur intus , *Et illic inuenies Deum* , vices inquam , gerentem Dei , atque vt verbo dicam omnia , Oculum Dei . Nam vt præclare Psalmista *signatum est super nos lumen vultûs tui Domine* ; hoc dum vrgeor , à te vrgeor ; hoc dum reuereor , te reuereor ; stimulosque à Conscientiâ immisos dum sentio , te redarguentem sentio ; & dum hoc fateor , te confiteor & agnosco .

Itaque ex  
Conscientiâ  
Deum esse  
intelligitur .

## §. I I.

*Quid propriè sint Stimuli Conscientiæ ; & quomodo actionem suam peccatori primò instituat , ac deinde tormenta animæ admoueat .*

- II. **D**icamus jam porrò quâ ratione accusatoris & reprehensoris partes instituat Conscientia , diem reo dicat , actionemque peccatori tam terribilem , pro domestico tamen tribunali , auspiceretur . Terribilem dico ; nam non est , peccator quòd se palpet impunitate peccandi ; seriùs enim aut ocùs , vt rectè D. Paulus *Tribulatio & angustia in omnem animam operantem malum* . Conscientiæ dictamen si non sequeris ; persequetur ipsa te . Dissimulare

D. Bern.  
l. de Con-  
scient. c.  
vi.

D. Aug.  
in pl. 45.

pl. 4. v. 7.

Ad Rom.  
1. v. 9.



mulare dum credis scelera, iras colligit vt fortiùs feriat, & tor-  
queat inclementiùs. Rem totam, si placet, ab ovo incipiamus,  
atque ordine quo geruntur intus omnia, singula prosequamur.

*Antequam  
quis peccet,  
prius per  
passiones  
obscuretur  
Conscien-  
tia dicta-  
men aut  
sententia.*

Quamprimùm itaque peccandi sese offert oportunitas, illico  
suboriri tibi senties metum quendam animi, quo euidenter ju-  
dicas, tibi que ipsi dicis, *Res hæc aut actio quam aggredieris est pla-  
nè illicita.* Iudicium hoc ipsissima est Conscientiã, seu dicta-  
men superioris Animæ, cui actionem faciendam Voluntas debet  
necessariò attemperare. Qui ergo fit, inquires, vt Voluntas fa-  
pissimè duci suo rationique rectæ non obediat, & in contraria  
teratur? Dicam. Interea dum in superiori parte Animæ pro-  
nuntiatur hæc sententia, illicitam nempe rem esse quæ est præ-  
manibus; in inferiori vt sic dicam domo, aut parte Animæ in  
quã corporeæ affectiones dominantur, per mali naturæ arriden-  
tis præsentiam, accenduntur igniculi quidam, Passiones voca-  
ex quibus fumi & fulgines euaporant, qui cerebrum inficiunt,  
totamque cæcã caligine mentem inuoluunt. Rem exemplo ex-  
ponamus. Impudicitiz aut iniustitiæ committendæ sese offert  
ocasio: illicitum id esse, in suo tribunali pronuntiat Conscien-  
tia: hoc decretum in superiori parte Animæ affigitur, ac volunta-  
ti, id est, appetitui rationali intimatur. Interim affectionibus  
suis excitata inferior Animæ portio, quam Appetitum natura-  
lem dicimus, forum, id est mentem occupat, & insanis omnia  
complet clamoribus; veluti dum præ Senatûs foribus, plebecu-  
læ insanientis gliscit seditio. Hinc cogitationes hæc aut similes  
subeunt animum: Vt res à Conscientiã iudicetur illicita, & im-  
pudica, naturæ tamen & corpori gratam esse, huic aliquid esse  
concedendum: item rem esse vtilem, & magni lucri occasionem  
nunc adesse præclarissimam, quam, cum elapsa est, non facile  
fuerit reuocare; adolescentiam id requirere; non nisi semel com-  
mittendum crimen. Plurimæ denique hujus generis rationes  
sese offerunt, quibus & mens percellitur, & ratio obfuscatur, &  
appetitus instigatur, & caro accenditur. Sic tandem in hoc se-  
ditioso affectionum conflictu, *defendentibus se inuicem cogita-  
tionibus aut etiam accusantibus*, præpeditur planè mens, & quasi  
tenebris obuoluitur, adeo vt superius Conscientiæ decretum,  
Voluntati quasi præ foribus affixum, legere aut mens non possit,  
aut etiam nolit. Et sic tandem contra Conscientiæ præscriptum,  
seditio



seditioni Passionum succumbit, & in earum concedit partem; malorum, in quæ se coniicit, admodum securo, quia naturæ exardescens fuligine excæcata. Præceptum eheu fertur miseria, & nescit quò. Sciet autem malo suo, scelus quod abblaudit dum expleuerit.

Vtrumque eximiè docet Ambrosius. Peccatur inquit, quia dum in quadam sumus delinquendi libidine, nebulis quibusdam insipientiæ mens obducitur & fumo quodam iniquitatis oculi eius caligant ne videat eorum que concupiscit deformitatem. En primam animæ labem, ortam ex affectionum fuligine. At vero inquit

ut peccatum commissum est, redit mentis claritas.

13.  
D. Ambr.  
L. de A-  
braham.  
c. 4.

Sanctus, cum omnis nebula transferit, grauius tormenta exercentur, in quodam male consensu secretario. Neque credas multum differenda hæc tormenta. Vix enim nebula transferit, transit autem simulatque commissum est scelus, illic Apparitoris instar aderit Conscientia, in jus te illico quæ abripiat. Neque est illi quòd succenseas: istud enim ei à Supremo omnium Domino demandatum est officij, vt statim nullâ morâ interpositâ peccantem occupet. Ita Deus ipse Caino. Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? quidnam autem hîc peccatum dicitur, nisi peccati memoria, id est, sceleris Conscientia? Aderit itaque Conscientia, & quidem statim, præ foribus ne effugias, vt tamquam Apparitor seuerissimus, sigillo vultus Diuini armatus (signatum est enim super nos lumen vultus tui Domine) legitime tibi non diem dicat, imò ne horam quidem, sed extemplo, eodem quò peccatu n est temporis momento, in jus rapiat etiam inuitum. Ad quem iudicem? ad seipsum, ad Conscientiæ, inquam, domesticum tribunal. Quid exiget? hoc breui scies. Primum quòd extorquebit, erit sceleris nuda confessio. At quid si fateri nolim?

peccator ad

Conscientia sic tribunal.

Gen 4.  
v 7.

Fateberis profectò etiam ingratis. Falsus est crimen suum, quamuis occultum, Lamech, etiam vbi non cogebatur. Audite, inquit, vocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meum. Mira profectò in mente habet, qui talem à mulieribus exigit audientiam. Quid ergo? Occidi, inquit, virum in vulnus meum, & adolescentem in liuorem meum. Stupet hîc Chryllostomus candorem viri, secreta scelera confitentis, & Quis istum dic obsecro inquit, ad confessionem adigit? Nullus alius quàm Conscientia & incorruptus ille iudex. Nam simul ac in peccatum declinat, sta-

Pf 4. v. 7.

Gen. 4.  
p. 23.

tim

D. Chryl.  
hom 20.  
in Gen.

tim



tim insurrexit. Conscientia in clamantibus, & ostendens peccatorum magnitudinem (en. ut apparitorem & iustitiæ ministrum agat strenuè) omnibus seipsum pœnis obnoxium fecit. Ita enim se habet peccatum, ut priusquam fiat, obtenebret ac decipiat mentem: postquam autem consummatum fuerit, manifestè nobis suam absurditatem proferat, & ostendat. Ita Chrysostomus.

Rolū in  
memoriam  
sententiæ à  
Conscientiâ  
primū lata.

Vt autem pergā dicere quæ in jus rapto peccatori tandem adhibenda sint tormenta, nec tamen tumultuariè & iniuste, aut sine juris formâ, rem totam sic habe. Simulatque igitur commissio jam scelere residit aliquantulum affectionum seditio & mentis perturbatio, illico discussâ cerebri fuligine, lux rursus oboritur, & superior animæ pars clarescit. Sic rursus sese menti aperit atque objicit decretum illud, quod antequam aggredereris scelus, Conscientia Voluntati præfixerat, nempe: *Hec actio est illicita.* In mentem, inquam, venit illicò sententiæ à Conscientiâ de hâc actione committendâ latæ memoria. Sententiâ sic exhibitâ, illicò personam mutat, accusatorisque partes arripit Conscientia; factum exhibet, clareque in os exprobrat, contra suum dictamen pertinaciter egisse te: neque aliis utitur actionis contra te institutæ probationibus aut instrumentis, quàm ipsâ facti euidentiâ. Tenetur enim scelus, & in foribus peccatum adest: neque vllus datur tergiuersandi locus, aut negandi euasio, vbi tam recens est commissi memoriâ, imò ipsa sceleris præsto est præsentia.

Conuincitur peccator facti euidentiâ & præsentia.

Et damnatur criminis reus.

Quid hîc agat peccator? quò se vertet? factum nê negabit, aut defendet? neutrum potest; manus dat, habemus fatentem reum. Tum demùm Conscientia pro tribunali sententiam nouam pronuntiat, quâ tandem criminis se condemnat, statuitque factum malè & sceleratè, pœnasque legi infractæ esse persoluendas. Neque sententiæ executionem procrastinat; illicò pœnas sumere incipit, eodemque iudicii sui rigore voluntati crimen objicit, improperat inconstantiam, exprobrat impudicitiam, arguit denique contemptam Dei legisque tam clare exhibitæ auctoritatem. Atque hæc quæ de se & suo scelere fert iudicia, propriè sunt aculei & tormenta Conscientiæ.

Multis modis & vicibus fit ea criminis exprobratio.

Et quidem tolerabile id esset utcumque, si intra nudam vnicamque facti exprobrationem staret Conscientiæ insultantis asperitas; sed primo iudicio non contenta, recurrit identidem, ob-

14.

15.

16.



jectationes ingeminat, factum repetit, indignitatem rei exaggerat, mœſtamque præ ſceleris ſui veterandiã, acerbiffimis modis exagitat voluntatem. Neque hoc agit quaſi ſcommata de plauſtro conjiceret; ſed quemadmodum iudex qui ſententiam protulit, rationes coaceruat vndique, quibus juſte pronuntiatam eſſe, liquido demonſtretur; ſic vt os reo, quantumcumque pertinaci, poſſit obſtruere. Ita agit ſceleris rea, dum necdum penitus extincta eſt Conſcientia: nihil non mouet, nihil non inuenit, vnde ſententiam criminis conſtmet, ſibi que merito faciat conuitium. Atque eccum verum Animæ tormentum. Criminatur atque exponat, vt rei indignitatem, voluntatiſque impudentiam ob oculos ponat; contemptam non naturæ tantum rationiſque legem, ſed ipſam ſupremi Numiniſ auctoritatem exploſam, irritatam offenſi Dei Maieſtatem, idque ob abjectiſſimam carniſ petulantiam, quæ ne in hominum oculos quidem ſine ſummo pudore & infamiã veniat: ob ſordidiſſimas & quæ illicd erant perituræ voluptates, ſædo commercio venditas eſſe cœleſtes æternasque delicias: hominiſ aut ſcorti familiaritatem infamem, Diuiniſ amicitiaſ eſſe propoſitam: conculcatum eſſe ſanguinem ipſum morientis Chriſti, pretium ſcilicet Animæ, turpi libidine diuenditæ; majorisque fuiſſe perituras opes per ſummam iniuſtitiam partas, præ iis quas tanto ſibi ſudore comparauerit moriens Deus. Inſinitum ſi cuncta aſſerte voluero, quæ in hanc rem, ſententiæ ſuæ pondus factura, vndique congerit Conſcientia. Iſque congeſtiſ tum ruruſ inſtat, vrget, premit, rogat an hoc ſit Chriſtianum eſſe: an hæc Deo pro tantis impenſis reddatur gratia; an hoc ſit doniſ naturæ & gratiæ vti; an ad hoc ei data ſit ingeniſ perſpicuitas, corporiſ valetudo & firmitas, fortunarum amplitudo, vt hiſ omnibus inſtructuſ & armatuſ, ea veluti arma in benefactorum conuerteret, & quantum in ſe eſt, iſ Diuinitatem ipſam impugnaret? Hoccine demum eſſe hominem agere, in cœno voluptatum, porci adinſtar, volutari, nihilque humanum præ ſe ferre præter os, quod ne inter homineſ quidem honeſtoſ audeat aperire?

Exponuntur modi aliqui quibus Conſcientia crimen exponat & exaggerat.

17. Hæc iudicia, ſæpiuſque iteratæ, & variis modis inculcata ſententiæ, aculei ſunt, tormenta ſunt, quæ ſceleribuſ vindicandiſ, tortoriſ inſtar, admouet Conſcientia; & in iſ tolerandiſ tota conſiſtit peccantiſ animæ carnificina. Ita igitur tota reſ agitur.

Synopſiſ diſ Horum hoc

msup

Pp 2

md,



in ipso sceleris articulo, peccantem Apparitoris vices agens adoritur Conscientia, & è vestigio in jus trahit. Deinde, nullâ morâ interpositâ, actionem instituit, crimen obijcit, & factum euincit. Tertio, sententiam actutum pronuntiat, actum malè, actum impiè, actum sceleratè. Quarto denique, sententiam à se latam inculcat identidem, atque exprobrat modis omnibus sceleris commissi immanitatem.

Voluntas in  
his accusa-  
tionibus à  
nullo habet  
patrocinio,  
sed sola ab  
omnibus  
desertitur.

Vbi tum ea quæ te ad peccandum perpulere phantasmata? vbi quæ ablandiebatur vultus species? vbi rationes quæ sceleri patrocinabantur? vbi qui necessitatem abutendi corporis, voluptatibusque indulgendi, prætexebat appetitus? vbi quæ rem licitam esse clamabant argumenta? vbi naturæ præsidio rectæ affectiones? vbi faces libidinis? vbi qui seditionem excitarunt insanæ affectiones? Resederunt omnia commisso scelere, & re male actâ, tumultuantis adinstar plebeculæ, viso iudice, aufugere, teque in ipsis Conscientiæ manibus perfide desertuere, hoc est, Iudicis, imò carnificis tui, permiserunt arbitrio. Egregios enim uerò causæ perditæ patronos & aduocatos! Hoc nempe erat quod addixere patrocinium, clientem perdere, & perditæ causæ prodere. Neque id mireris inquit D. Chrysostomus, *Ea enim peccati natura est, ut priusquam omnino perpetratum sit, hominem temulentiam afficiat: posteaquam autem expletum ac perfectum est, tunc ea voluptas sese proripiat, & extinguatur. Ac solus jam deinceps stet accusator; Conscientiâ nimirum carnificis locum obtinente, ac peccatorem lancinante, ab eoque extremas pœnas exigente, ac plumbo quouis grauius ipsi incumbente.* Ita Chrysostomus & rem ipsam describit gnauiter, & quæ à me dicta sunt, suâ auctoritate penitus confirmat.

18.

D. Chryf.  
epist 7. ad  
olympia-  
dem.

## §. III.

In quo consistat pœna quam animus sentit ex Conscientiæ tormento, & quanta hæc sit, amplius declaratur.

Præ incubus  
cor, ita Con-  
scientia a-  
nimâ pec-

Restat explicandum modò, quid tandem sit exquisitissimus ille dolor, quem ex Conscientiæ suæ carnificinâ tormentisque immixtis animus percipit. Quod ut agam magno erit vsui, ea

19.

quam



quam modò D. Chrysoſtomus protulit, plumbi comparatio, dum Conſcientiam aſſerit carnificis adinſtar, animam opprimere, *ac plumbo quouis grauius ipſi incumbere.* Perplacet, inquam, elegans comparatio. Prout enim contingit non rarò ſiniſtro lateri indormientibus, vt ſanguinis ex hepate deſluentis grauedine, quam Iacubum Medici vocant, vndique opprimatur cor, ei que mole ſuâ infeſtus adeò incumbat, quali ſi plumbo premeretur: vnde contingit palpitare cor, angi viſcera, & ſpiritum quodammodò intercipi ac ſuffocari; dum ſanguinis cordi imminentis vi, & vim eluctantis cordis conamine, anima perſtringitur & contrahitur; atque in ipſo eluctandi conamine & reniſu angores patitur exquiſitiſſimos. Ita prorfus cum acerrimus accuſator, Conſcientia inquam, animæ nocenti incubat, iudiciumque intentat grauiffimâ in cauſâ etiam grauiffimum; contrahit ſeſe illicò cor, labafcit animus. Vt clariùs loquar, contrahunt ſeſe præterita deſideria, quæ cor ipſum iucundo quodam calore demulcebant; labafcunt actiores ſanguinis ſpiritus, affectionum naturalia nutrimenta; & ſic tandem deficit animus, contractus metu, vigore omni deſtitutus, neque deficientem ſpiritum lubet, ne ad ſolita quidem officia deinceps explicare.

20. Atque hæc demùm virtutis natiuæ deſtitutio, hoc animi deliquium & angor, pœna eſt ſeu paſſiuus, vt planè loquar, dolor, quam animus ex ſtimulorum à Conſcientiâ ingeſtorum aculeis perſentifcit. Dolor autem hic in tribus maxime animi actionibus conſiſtit. *Primò*, quidem in facti pœnitudine: quæ nihil eſt aliud, quàm ingens deſiderium, factum non fuiſſe quod factum eſt, ſeu commiſſi ſcleris Detectatio. Hæc prima mentis luſta. *Secundò*, dolor exoritur ex improbo conamine, quo vim Conſcientiæ eluctari mens nititur; & exprobrationes quas vndique & ſine intermiſſione ingerit accuſator, conatur aut non audire, aut à ſe penitus amoliri. Quod dum nequidquam tentat, *tertius* ſuboritur dolor animo, ineluctabilis nempe pudor & verecundia, quâ mens obducitur tum præſenti exprobratione Conſcientiæ impetita, tum etiam timore futurarum quas ſibi certò ſcit quotidie ingerendas. Hinc animo ſic contracto & doloribus fracto, ſuboritur tandem odium quoddam, aut ſaltem tœdium ſui. Pudet enim hominem ſui, neque pudoris cauſam poteſt excutere, quamdiu ipſemet ſibi eſt pudoris iuſta materia. Et ſic verum eſt

In quibus actibus conſiſtat dolor quem ex Conſcientiæ ſtimulis percipit anima.

Maximus dolor, à ſeipſo torturatus patitur.



quod dicit Seneca: *Prima & maxima peccantium pœna est, peccasse*: ob pudoris nempe incussi, identidemque incutiendi acrimoniam. Nam vt rectè paullo post subicit, *numquam fides latendi fit etiam latentibus: quia coarguit illos Conscientia, & ipsos sibi ostendit*. Ita ille. Se autem dum sibi ostendit, non alium ostendit quàm hominem improbum & sceleratum. Hæc autem conuitia semper excipere, neque ab iis ferias dari aut promitti; tormentum est sanè, vti ineuitabile prorsus, (quis enim se cuitet?) ita & intolerabile prorsus, cunctisque pœnis tormentum majus: nihil enim est intolerabilius, quam ab amico conuitium pati. Et quis magis amicus est homini, quàm quisque est sibi? Hinc magis est impatibile, quòd reus sceleris patitur non ab alio, sed à seipso; neque aliud vllum huic tormento est comparandum.

Maximum  
à propriâ  
Conscientiâ  
dolorē cau-  
sari, proba-  
tur in A-  
dam.

Quid enim? Quid, inquam, tantoperè, miserum, peccatorem 21.  
nempe, Adamum affligebat? An secutura mors, an morbi, an  
inedia, an subortura terræ sterilitas, sudoris laborisque deinceps  
futura materies, & sceleris à se commissi vindicta? Certè mala  
hæc, nec experienciâ suâ nouerat, neque adèd nosse poterat indi-  
cio alieno. Incogniti autem quis potest esse tantus timor? Mouet  
quæstionem hanc D. Chrysostomus, eamque dissoluit. *Quare, in-* D. Chryf.  
*quit, dic oro, quare timuit? Quoniam videbat sibi trucem stare accu-* homil. 17.  
*satorem, Conscientiam dico: neque enim alium objurgatorem habebat* in Gen.  
*& testem peccatorum, sed unicum illum quem intrinsecus circumfere-*  
*bat*. Ita ille & rectè. Objurgatorem certè alium non habuit:  
quem enim habere tum poterat nisi Deum, cum ab Euâ sceleris  
complice nihil esset magnoperè metuendum. Quid verò Deus?  
an accurrit forsitan itâ feruidus, auidusque vindictæ? minimè  
verò; *Deambulabat*, ait sacer textus, *in paradiso ad auram post* Gen. 3.  
*meridiem*. Non est sanè ferocientis animi indicium, hæc tam 1.8.  
pacifica deambulatio; neque vindictam multum spirat, qui amœ-  
nas sic quasi per otium captat auras. Et tamen, *cum audissent vo-*  
*cem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem,*  
*abscondit se Adam, & uxor eius à facie Domini Dei in medio ligni*  
*paradisi*. Atqui truculenta non erat facies Dei, sed placida, sed  
amœna: eam tamen fugit Adam. An forsitan vocem grauiorem  
intorquet Deus offensi animi manifestum indicium? Ne hoc qui-  
dem habet Adam timoris sui argumentum. *Vocauitque Dominus* 1.9.  
*Deus Adam, & dixit ei, Vbi es?* quid dici poterat modestius?  
quid



quid etiam amicabilius, quàm deambulationis suæ comitem peruestigare? Et tamen intrâ latebras suas sese continet fugitiuus: *qui ait, Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui quòd nudus essem, & abscondi me.* Non quòd nudus esses timebas Adam, sed quòd peccator prætextum quaris verecundiæ, sed causam dissimulas. Quid enim terrere poterat tantoperè cognita & amica vox? non vociferatur, non indignatur, non exprobrat quidquam; blandè tantùm rogat, *Vbi es?* Hæccine timoris aut pudoris est materies? Est sanè & quidem maxima. Quò enim blandior placidiorque erat Numinis offensi vox & oratio, eo rancidior erat seueriorque Conscientiæ internus clamor, illud ipsum acerrimè exprobrantis, nempe mulieris amorem, amicitia tam placidi & amœni Numinis esse prælatum, contemptamque illius Dei sanctissimam auctoritatem, qui etiam offensus, nihilominus secum agat tam beneuolè & amicè. Conscientiæ itaque vox prorsus erat horrida; & quia minimè adhuc Adamo expertum, primum maximumque tormentum. Grauis profectò vox & planè horribilis, quæ tumultu & strepitu quem in Adami animo excitarat, etiam Dei deambulantis vocem suauissimam & amœnissimam, auribus infelicis viri horrendam reddebat & intolerabilem. Nam inter clamores streperos vociferantis Conscientiæ, blanditias suas amœnitatemque, Diuina vox amiserat. Et sic qui vocem ambulantis Dei audiuit, vocem exprobrantis Conscientiæ ferre non potuit. Illam audiuit, sed hanc timuit: fugit & abscondit se. Se tamen non effugit, suus posthac futurus carnifex.

22. Ingens proculdubio tormentum hoc vt sit necessè est; cum vt præclare animaduertit D. Ambrosius, Deus, grauissimè tamen offensus à primâ infelicis Adæ sobole Caino, eum superesse voluerit; eique, quamuis mortis reo, de mortis tamen à quoquam illi inferendæ periculo cauerit, tantùm vt diutiùs ærumnis superuiueret, & diuturnioribus Conscientiæ stimulis vrgeretur. Digna est quæ exponatur res. Notum est Caini facinus: primum fuit quod orbis vidit, & quidem fratris homicidium; primum, inquam, inuidiæ sacrificium. Deus sceleratum caput pro suo jure aggre ditur; inquit scelus, tergiuersantem vrget, denique conuincit criminis. Vindictam petit effusus cruor. Ita Deus ipse. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* Iudicem profectò in clamat, pœnas exigit scelere pares, Cumque jam nihil aliud super esset,

*Morte ipsa  
diuio rem  
esse proba-  
tur in Caino.*



esset, quàm vt mortis sententiam in homicidam Deus ferret; ecce tibi sententiam profert vitæ. *Nunc igitur maledictus eris super terram.* Ita sit, sed salua vita est. Ita est. Et neque nunc tantum saluam vult Deus, sed vt in posterum eius vitæ caueat: *Posuit Deus Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum:* non immeritò enim timebat infelix Cain, ne quispiam suo exemplo ferox, in ultionem occisi innocentis insurgeret. Signum itaque aliquod, fronti verosimiliter aut appendit aut impressit Deus, aut certè tremorem continuum, vt quidam volunt, membris indidit, vnde & dignosceretur homicida, & ab omni violentiâ aut pœnâ in vindictam criminis commissi inferendâ, posthac sciretur immunis, Deique iudicio reseruatus. Salutis itaque concessæ testimonium (saluam guardiam vocaremus modò) Cain propalam circumferebat, omnium iam exemptus iurisdictioni & manibus, præterquam suis. Et quidem tam luculenta erat hæc à Deo data fides publica, vt minæ etiam grauissimæ Caini conseruandi gratiâ adderentur, *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Hic verò iustitiam tuam imploro, iustissimè scelerum ponderator & iudex Deus. An hoc punire est scelera, an verò dissimulare? an hanc pro clamoribus suis vindictam refert innocens Abelis cruor? Ignoscere si vis, ignosce; Deus es & potes omnia. At verò pœnas sumere si constitutum est tibi, sanè pro criminis atrocitate pœnas det. Mortem si est meritis, vt quid morte eximitur? Vt crudeliùs viuat, inquit Ambrosius, & ferociùs torqueatur. *Egressusq; Cain à facie Domini, habitauit profugus in terrâ.* Nusquam securus sui, quia semper secum. *Cum adhuc à Domino pœna cessaret,* subiicit Ambrosius, *torquebat eum suorum Conscientia peccatorum. Latebat miser tremens & timens; & cum adhuc percussor deesset, ipsa sese iniusti vita cruciabat. Acceperat signum ne eum aliquis occideret; non vt vitæ suauitate frueretur, sed ne mors auferret erumnam; vt percussorem suum quotidie timendo pateretur. Meruerat quidem vt percussor non inhiberetur; sed sine vllâ intermissione ipse sibi suus carnisex erat, ipse percussor.* En vindictæ Diuinæ iustitiam, ab omni sceleris dissimulatione, ab Ambrosio eleganter & verè propugnata.

Animaduersione dignum est quod dicat Sanctus, vitam concessam esse Caino, *ne mors auferret erumnam.* An ergo Conscientiæ tormenta maiora sunt, quàm quæ secum fert infauista mors?

Dicam



Dicam quod res est. Non omnes Conscientiæ stimuli tam crueles sunt vt morti comparentur; neque enim semper vires omnes Conscientia exerit, neque omnes quibus instructa est stimulos semper infligit. At verò rem agere cùm incipit, & grauiora quæ ad manum sunt tormenta dum admouet, tum sanè ea ingerit, quæ morte omni sunt grauiora, & quibus nullum nisi à solâ morte datur patrociniū. Experti credunt. Et rem non expertus, tamen exhorruit Bernardus, Audi. *Horreo, inquit, vermen mordacem, & mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viuentis, & vitæ morientis. Hæc est secunda mors, quæ numquam peroccidit, & semper occidit. Quis det semel mori, vt non moriatur æternum!... denique inuocabunt mortem, & non veniet.* En vitam omni morte crudeliorem. Saluberrimum tamen supplicium; vt tandem aliquando respiscat reus, aliusque à se fiat conuictus sceleris, & victus vitæ tam exosæ fastidio.

Et ex D.  
Bernardo;

D. Bern. l.  
5. de Con-  
sid. c. 12.

24. Istud enim, præclarum tormentis hæc temperamentum attulit, malis humanis indolens Deus, quod vim auctoritatemque Conscientiæ in hac vitâ vtcumque contraxerit: ne scilicet quamdîu peccatores viuunt, omni quo posset impetu reum opprimat, eique cruciando semper mordicus inhæreat. Hoc modo in inferno carcere jurisdictionem suam Conscientia exercebit. In hac verò vitâ, feriæ dantur nonnumquam à tormento, & per interualla carnificina repetitur; neque verò etiam extrema vis adhibetur. Non enim illi ferendæ homo par esset, breuique tempore doloris vi emarcesceret. Ea propter inquit Chrysostomus *& illud prouidit (nempe Deus) vt ex intervallis nobis immineret Conscientiæ redargutio; propterea quod est admodum seuera, & quouis stimulo acrius pungere solet.* Ita ille. At ego præterea benigni Numinis misericordiam agnosco. Intervalla tormentis dat, vt de vitæ suæ rationibus immutandis, seriò peccator deliberet cùm à tormentis vtcumque liber est; quod non est tam facile & expeditum animo prorsus languido, & doloribus tantis præpedito.

Non semper  
urgere  
Conscien-  
tiam per-  
mittit  
Deus, ne  
peccator  
extinguat-  
ur.

D. Chryf.  
hom. 17.  
in Gen.

Et vt possu-  
respiscere.

25. Interim ingentem à Deo datam Conscientiæ auctoritatem & potentiam, mecum si placet, perpendite; illudque tandem statuite, quantæ apud nos esse debeat venerationi. Nuda est Conscientia, inermis est, non fascibus metuenda aut securibus, non virgis armata aut ferro, non catastis funibusque terribilis. Sola

Conscientia  
nulla ar-  
ma habet  
nisi seip-  
sam.

Qq

est,



est, neque arma præ se fert, nisi quæ ipsa sibi format & suppeditat; atque illa sunt simplex rei actæ condemnatio. Interim tam acerba est hæc Conscientiæ sententia, vt torum hominem percellat & pauefaciat: vigorem omnem exsugit facti tædio; occludit cor; suauiatam vitæ labefacit: sic vt nec edere libeat, nec commessari delectet, nec solita gaudia afficiant, nec veteres amicitia placeant, nec somnus detur oculis, nec quies animo: imò vt nec viuendi quidem vlla posthac sit lubentia. Tantis animum incessit dolor. Quid autem id est quod hominem habet tam miseris modis? quid est quod mentem, imò & corpus lancinat tam crudeliter? Nihil prorsus, nisi solius Conscientiæ sibi metipsi infensæ aculeus. Sic dum agit, Deum agit.

*Adhortatio  
ad peccato-  
res.*

I nunc peccator, & tecum statue, an operæ pretium fuerit, voluptatis momento duraturæ impendio, tam ingentes & tam perennes dolores sibi comparare? Statue, inquam, an æquum sit rationique consonum, vt corpori, natu.æque affectionibus corruptæ, vno temporis articulo placeas sibi tam acerbum in morem toto deinceps vitæ tempore displicere. Voluptatem exiguam, & verò falsam, tormentis tam veris & diuturnis compara, & tandem erubescere. De cæteris, quæ insaniam tuam debentur, suppliciiis nunc non ago: de iis loquor, quæ modò pateris à teipso. Hæc verò si non ters, æterna cur non expauescis? Si autem ters, neque forsitan præ inueteratâ peccandi consuetudine, à Conscientiâ pungeris; aut si pungeris, nihilominus non compungeris, neque aculeos perferentis; actum esse de te timeo: cauteriatam, vt D. Paulus loquitur, habes Conscientiam, id est adustam & sine sensu emarcidam; neque quidquam bonæ vitæ tibi factum est super, qui in tantâ dolendi materiâ, doloris sensum amisisti.

26.

§. IV.



## S. IV.

*Ostenditur non omnes Conscientiæ aculeos esse tam acres, neque semper urgere. Item datur ratio, cur ex quibusdam peccatis majores sentiantur stimuli, majorque percipiatur dolor, quàm ex quibusdam longè grauioribus.*

27. **V**erùm vt nihil quod materiam hanc concernit intactum relinquam; & ne fortassis etiam timorem nimium incusserim iis, qui cæteroquin bene frugaliterque vitam instituentes, nonnumquam aut fragilitate humanâ, aut Dæmonis instigatione, aut etiam peruersitate propriâ in nonnulla crimina se induerunt, neque tamen tam vehementes Conscientiæ stimulos perlentescunt: vnde & metuere possent an fidam habeant Conscientiam, an verò cauteriatam, cum officio suo non videatur satisfacere; idcirco duo mihi hîc præcipuè dicenda sunt, quæ sint solatio.

28. Primò quidem licet acerbissima, quibus reum sceleris cruciet, tormenta, in manu Conscientiæ sint; iis tamen non semper vti, certum est; neque adeò ad mouere nisi rebellibus & cotumacibus, iis denique quibus liber & constitutum est esse penitus sceleratis. Hos profectò adoritur crudeliter, hos torquet pertinaciter; & si flectere non possit peruiacem, tandem deserit; tormenta sua subtrahit, donec puniendus est æternis. Cæterùm peccatores eos qui sese sceleribus penitus non deuouère, qui necdum criminibus frontem perfricuère, neque Deum quasi ex æquo paribusque armis decertaturi, ad singulare certamen sceleribus audent laceßere; hos, inquam, pungit Conscientia, officiique admonet suauiori prorsus modo. Castigat quidem agentem malè, sed non tam vt pœnas sumat, quàm vt corrigat. Quòd si autem admonitus illico ad mentem veniat & respiscat, cur pœnas deinceps admoueat rei benè gerendæ non necessarias? Cur clamores adhibeat, vbi sibilo res peragitur? Hinc fit, vt sæpe peccato commisso, non ingens sentiat Conscientiæ mor-

*Eos qui non sunt pertinaciter scelerati, sæpe non tam acriter puniuntur Conscientiâ.*

*Praesertim cum illico veniunt ad penitentiam.*



fus : suffecit enim modica vellicatio. Sentit hanc peccator, & erubuit; & vt erubuit, pœnituit, & salua fuit res.

*Aliquando  
tamen et-  
iam in  
pœnitente  
manet ac-  
leorum  
sensus, vt  
videat pec-  
cator quid  
meruerit,  
& quas  
pœnas pa-  
ratas ha-  
beat Con-  
scientia.*

Non inficior tamen, durare nonnumquam in sceleris pœnitente, quandam animi amaritudinem & pudorem. Is tamen à Conscientiâ non ingeritur vt frangat animos: vt quid enim eos infringat, quos jam depressit facti pœnitudo? Ad quid ergo? Sanè vt ostendat Conscientia quid peccando mens sit merita; atque ostenso tormento timeat, & sapientiùs agat imposterum. Sic Pater aut Pædagogus virgas ferulamue ostendit; & verò etiam delinquenti, & errorem deprecanti nonnumquam admouet leuiter, non vt puero dolorem incutiat quò contabescat, animosque dein penitus abiiciat; sed vt delicti recordetur cuius pœnam sensit, sciatque imposterum non deesse Pædagogo mala quæ incutiat, & quidem iis quæ passus est maiora, si malè rursus agere in animum induxerit. Ita sapissime agit Conscientia: quamuis actorum pœniteat, statutumque sit penitus resipiscere; castigat tamen, sed molli manu: stimulos ingerit, qui licet blandiùs, afficiunt tamen, & perurgent pœnitentis animum: tum vt pro commisso crimine pœnas det, tum vt oculos tandem aperiat, agnoscatque esse quibus puniatur tormenta prorsus eximia, quorum hæc quæ sentit, initia tantùm sint & quasi rudimenta. Sapient posthac suo malo edoctus peccator, & delicias scelerum detestabitur, quæ tam eximij doloris futuræ sunt materia.

*Sape ob mi-  
nora pecca-  
ta maiores  
sentiri Con-  
scientia sti-  
mulos.*

Alterum quod occurrit, quodque Conscientiæ stimulos suspectos possit reddere an veri sint an exorbitantes, est, quòd persæpe grauissimè feriant post commissa quædam scelera, quæ reuerà aliis longè minora sunt. Interim stimulos ingerunt longe acriores iis, qui commissis grauioribus, à Conscientiâ peccatori admouentur. An hoc est fide bonâ & sincerè partes agere Pædagogi, ad minora clientis sui vitia vocem efferre, minitari extrema, totamque clamoribus complere domum; ad maiora vix vocem efferre, & sceleribus quasi conuiere? Sanè id in humanis vitiis experimur quotidie. Minimè quippe dubitandum est, quin ingens famæ detractio, majus sit crimen naturâ suâ, quàm furtum: vtrumque majus etiam est fornicatione, aut simplici luxuriâ: omne peccatum si mortale est in quâuis materiâ, indubitatim majus est peccato veniali quod in castitatis materiâ committitur: omnibus hisce denique deformior est blasphem.

*Expenditur  
vnde id  
fat.*



blasphemia, atque odium Dei. Et tamen longè acriores animi stimulos perferunt plurimi, majori pudore suffunduntur, imò & longè magis cor ipsis adstringitur, si furti sibi sint conscij, quàm detractæ famæ si sint rei. Et rursus, majorem animo dolorem concipiet pudica virgo, si se carnis vitio etiam exiguo contaminarit, quam si detraxerit aut homini famam, aut blasphemando honorem Deo. Quid hocce demùm rei est? vnde in tam dispari culpâ tam dispar dolor? Scio quidem majorem tempestatem animo nonnumquam oboriri, ex Confessionis instituendæ verecundiâ. Verùm cur hæc ipsa tam inæqualis est? Quòd si ea ex Dei offensâ, Conscientiæque exprobratione oritur; certè longè grauior illa est culpa, ob quam tamen non adeo erubescis. Quid, quod & veniale sæpe tantùm sit, nec Confessionis subiectum legi? quid ergo motus facit tam dispares & inæquales? An fortè Conscientia ex fide non agit partes suas? Hoc tamen de bonâ Conscientiâ minime licitum est suspicari.

31. Dicam quod sentio. Præclarò sanè consilio prouidit Deus, vt vbi majora sunt labendi pericula, isthic etiam præsentiora forent quæ lapsum arceant, retinacula: & vbi morborum plures sunt illecebræ, isthic etiam in promptu essent acriores, quæ malo opponantur, medicinæ. Hinc ergo, cum alia atque scelera, ex ipso naturæ corruptæ vitio, fomenta aut minora habeant aut etiam majora, vnde pronior est frequentiorque in hæc quàm in illa lapsus; magnâ sanè circumspectione & misericordiâ id egit Deus, vt plura essent adiumenta, præsentioraque retinacula, vbi facilior frequentiorque ruina erat expectanda. Cum igitur tam lubrica sit carnis nostræ constitutio, tantæ voluptatum illecebræ, tam procax sanguinis impetigo, tam vehemens phantasmæ formosâ specie illectæ petulantia, tum crebra affectionum illicita exposcentium seditio, tot denique ex hæc parte incitamenta quæ ruinam prouocent; huic sanè peculiari studio fuit prouidendum. Majorem itaque verecundiam naturæ inseuit, & quasi sepem pudicitæ seruandæ circumduxit Deus spinis stimulisque asperam, vt aculeis quibus imperenda est mens, perterrita sese contineat, nec limites sibi à ratione, à Matrimonij legibus, à Deo denique præscriptos, temerariè perfringat & excedat. Acriores itaque spinæ & stimuli isthic erant obiciendi, vbi ma-

*Datur ratio cur alia quæ peccata minus præ aliis detestanda magis tamen sint erubescenda.*



ior futura erat sepem perfringendi licētia aut potius lubentia. Stimuli hi sunt naturalis illa, omniq; , qui pudicus est, homini innata verecundia, quam non immeritō frānum vocaueris naturale vitiorum. Et licet omnia, si rationem spectes, pudenda sint scelera, & quidem quæ majora sunt erubescenda sūt magis; tamen circa luxuriantis carnis vitia longē acrior circumseptus est à Deo pudor, quàm circa odium ipsius Dei; quia nempe ex ipsā carne, maximæ existunt illecebræ quæ ad ista, & pauca quæ ad hoc pertrahunt. Expediebat autem omnino, vt vbi majus erat corruptionis discrimen, ibi esset acrior medicina. Et cū ex corpore malum luxuriæ plerumque pullulet; ex sanguinis nimirum æstu spirituumque vehementiā; etiam ex ipso sanguine parandum erat aliquod mali remedium. Hoc autem est Verecundia, quæ ex sanguinis affluxu oritur, frontem, os, oculosque occupat, rubore vultum inficit, eique inscribit manifestas sceleris notas. Sic nempe sanguinis vitium, sanguine proditur; & dum se prodit, se castigat. Atque hæc est ratio, cur quædam scelera magis quidem sint detestanda; non tanta tamen erubescentiæ sint materia, præ aliquibus, quæ longē minùs sunt detestanda, erubescenda tamen quam quæ maximè.

*Cur Con-*  
*scientia*  
*magis a-*  
*criber pun-*  
*gat vero-*  
*cundia in*  
*peccatis*  
*carnalibus,*  
*quàm in*  
*spirituali-*  
*bua.*

*Cessant sti-*  
*muli &*  
*dolor ex*

Hinc ergo Conscientiam non argue, neque quidquam finistri de ejus bonâ fide suspicari, ingentes si aliquando minora ob peccata stimulos subiicit, eosque subtrahit longē deterioribus. Agit enim partes suas perquam accommodè. Sufficit Conscientiæ, si te in officio contineat; aut si excesseris, ad meliora si reducerit. Hoc autem vbi commodè, ratione solâ objectâ consequitur, vt passim fit in criminibus, merè vt vocant spiritualibus, & quæ ex ipsâ carne non pullulant; isthic corporea tormenta quæque cor carnemque magnopere afficiant, plerumque non adhibet. At verò in iis sceleribus quibus corporeæ voluptatis plurimum est intermixtum, quandoquidem non ratione aguntur pleraque, sed affectionis impetu & prolapsu; sanè præter rationem quæ animo & voluntati admouetur, etiam naturali pænâ agendum est, & voluptati quæ carnem afficit, frānum imponendum est quod carnem domet. Doloris itaque sensum corpori Conscientia adhibet, vbi curandum est corpus, vt animo benè sit. Huic autem bene esse cū incipit, & per seriam antea vitæ pœnitentiam cū respiscit, subsidit illico etiam is qui ex verecundiâ

32.



verecundiâ inustus est corpori dolor; & sic tandem pacata sunt omnia; & animo bene est, nec corpori est incommodè.

*pudore  
ortus, cum  
respiciat  
peccator.*

33. Neque verò credo necessarium, vt hunc quem Conscientia seruat agendi modum & ordinem, fusiùs comprobem; experientia enim clara est, & ratio manifesta. Cùm enim præcipuus, quem Deus sibi præscriptum habet, finis sit, non adeo peccatorem Conscientiæ admotis stimulis cruciando castigare, quàm corripere & ad officium reducere; sanè si peccator ictus sapiat, eumque sceleris commissi pœniteat, non est quòd intentâ manu feriat, aut quod per Conscientiæ tormina, nouam quotidie carnicinam moliatur. Redit animo pax, vbi reditur ad officium; ipse animus sibi redditur, vbi quod debetur, redditur Deo. Ita sanè testatur apud Isaiam Deus ipse. *Iras se tandem positurum pollicetur. Non enim in sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascer?* ..... *vias eius vidi & sanauit eum; & reddidi consolationes ipsi.* Agnosce artes te per Conscientiæ stimulos corripientis Dei, quisquis es mortalis; & inter angores animi quibus nunc ingemiscis, *Misericordias Domini in æternum cantabis.*

*Isai. 57.  
v. 16. & 18.*

§. V.

*Alios esse Conscientiæ aculeos naturales, alios supernaturales; rursus alios veros, immisos à Deo & Conscientiâ, alios à Demone. Quomodo discernantur. Denique quid agendum sit animæ his stimulis exercitæ.*

34. **P**Auca tamen adhuc subnectenda sunt, vt aculeorum à Conscientiâ ingestorum natura penitus exponatur.
35. Ac *primò* istud reticendum non est, quòd quamuis ingentem animo commissi sceleris dolorem perferentiscas, eumque aculeis suis Conscientia inusserit, non tamen semper supernaturalem esse sensum illum: & quamuis te facti pœniteat, scelusque præteritum detesteris, non tamen eam esse semper detestationem quæ veniam delicti impetret, amissamque cum Deo amicitiam reconciliet: habet enim etiam ex naturæ visceribus depromptos aculeos Conscientia. Tunc quidem supernaturalis ordinis sunt hi stimuli, doloremque qui super naturæ vires sit eliciunt, cùm

*Dolor qui  
ex natura  
rationibus  
elicitur,  
naturalis  
est.*

ex



ex Diuinitatis offensæ Majestate, Auctoritate, aut Bonitate, dolendi causâ elicitur, aut saltem iis ex rationibus quas fide attingimus, vti lufius Tract. 12. 13. 14. Explicabimus. At vero quid si doleas aut ob vitium corpori illatum, aut ob infamiam apud homines subeundam, aut ob dignitatis amittendæ discrimen, aut ob opum euertendarum periculum, totusque hisce de causis abeas in lachrymas? Certè naturalis hic dolor est, quem per rationes tantum naturæ rationique consonas elicit Conscientia, atque adeo inhabilis omnino cui aut peccatorum relaxatio, aut alia quæ supra naturam sit, gratia tribuatur. Non tamen malus hic est dolor; quinimò ad supernaturalem physicè disponit peccatorem. Supernaturalis tamen fiet, si pœnas illas, quasi iuste à Deo per te offenso inflictas, æquo submissoque animo excipias; & sic, non tam naturæ sese vindicantis, quàm Dei per naturam te castigantis agnoscas manum. Atque hæc est praxis, quâ cuncta quæ naturâ patimur mala, ad supernaturalem ordinem possumus euehere, iisque tolerandis supernaturalia præmia promereri.

*Illi non datur condonatio peccatorum.*

*Potest fieri supernaturalis.*

*Si statim peccato aculei nimis sint, à Demone sunt plerumque.*

*Quando sint nimij à peccato exsurgentes stimuli, declaratur.*

*Secundò*, si postquam commisso sceleri constitutum est non inhærere, nihilominus ingentes admodum, quique præter mo-rem sint, aut quam par est diuturniores, doloris stimulos persentiscis, hoc tibi certum sit non eos tibi per Conscientiam à Deo immitti; sed vel ab insitâ animo superbiâ, per quam tibi, nescio quam constantiam virtutemque arrogabas, aut nescio quid de nobilitate animi & corporis promittebas, sic vt tam pudendo crimini non videreris obnoxius; vel certè Dæmonis artificio tempestas tanta excitatur. Uti enim scrupulis, homines etiam sanctitate conspicuos aggreditur, & per falsas scelerum imagines iis illudit, sic vt peccata esse suspicentur, vbi peccata non sunt: ita & apud eos qui sese fortè, aut prudentes, scelere aliquo contaminauère, à quo se tamen breui per pœnitentiam, nisi mora iniiciatur, sunt extricaturi; apud hos, inquam, mirâ arte crimen exaggerat, indignitatem rei in immensum eleuat, vt sic dolore immodico mentem excruciet, & tandem etiam penitus labefaciat & conuellat.

Tum autem absque vllâ dubitatione, certissimoque scias immodicum dolorem esse, & à Dæmone suggeri; cum vel minimam veniæ desperationem, aut certè magnam consequendæ difficultatem

36.

37.

tem



rem obuoluit. Illud enim nouimus indubitatum esse, Deum sibi non aduersari, neque quidquam agere quod hominem à se auertat. Atque aded, aculeos qui sese eò extendunt, vt Diuinæ Misericordiæ labem inferant & conuitium, non nisi inueterati hostis, Dæmonis inquam, seditiosas voces esse, nimis est manifestum, quàm vt pluribus indiciis tam clara fraus debeat comprobari. Detexit hanc Dæmonis technam D. Ignatius in aureo Exercitiorum libello. *Si per discursum mentis, inquit, aliquid offertur vel sequitur quod ex se malum sit; vel auocet à bono; vel ad minus bonum impellat quàm anima prius querendo sequi decreuisset; vel animam ipsam defatiget, angat, ac perturbet, sublatâ que prius aderat quiete, pace & tranquillitate; euidenter tunc exit indicium, auctorem esse cognitionis eiusmodi spiritum malignum, utpotè utilitati nostræ semper aduersantem.* Ita ille.

D. Ignat.  
in Exer.  
Reg. 5. in-  
ter priores  
de discern.  
Spiritu.

38. Quapropter etiam admodum mihi suspecti sunt proborum hominum uehementes nimium motus, exorbitantesque angores animi, qui peccatis leuioribus & venialibus, ab iis etiam per imprudentiam commissis, nonnumquam superueniunt; quamuis ob Numinis à se tenerrimè dilecti offensam crucientur. Suspectus, inquam, hic dolor est, quia nimius. Nimium autem tunc esse scies euidenter, cum tædium quoddam infirmitatis humanæ ingerit; cum solitas preces interpellat, sacram Synaxim impedit, Exomologesim perturbat, aliaque religionis exercitia terrica reddit & odiosa ex hoc capite, quod numquam ea sine culpis venialibus detur peragere. Nimius, inquam, hic est dolor, & qui sine dubio à Dæmone ingeritur: ii enim qui à Deo sunt Conscientiæ aculei, quamuis fastidium detestationemque peccati etiam venialibus excitent; tamen & animos subdunt, & remedia suggerunt, quibus errores commissi superentur: inter quæ cum præcipua sint oratio, Sacramentorum usus, cum Deo commercium, & solita muneris sui statûsque quem quisque obtinet exercitia; ad hæc sedulo accurateque exhibenda animos viresque dant, quæ à Deo sunt, suggestiones. Commodum id me rursus docet Ignatius. *Spiritus, inquit, bono proprium consuetumque est, rectè agentibus animum ac vires reddere, consolari, deuotionis lacrymas ciere, illustrare mentem, & tranquillitatem dare; sublatâs obstaculis omnibus; vt expeditius alacriusque per opera bona semper ultra tendant.* Vbi contra, inquit: *Homines qui se à vitiis & peccatis purgandos curant*

Suspectus  
est nimius  
angor ani-  
mi ab pec-  
cata venia-  
lia.

Quis sit ni-  
mius, & à  
Dæmone.

Angor bo-  
nus semper  
est cum fi-  
ducia.

Ibid. Reg.



Qui à Dæ-  
mone est,  
animos de-  
jicit.

sollicitè, & in obsequii Divini studio magis ac magis indies promo-  
uent, immittit spiritus malignus molestias, scrupulos, tristitias, ra-  
tiones falsas, & alias id genus perturbationes, quibus profectum illum  
impediat. Et ita nonnumquam impedit, vt defectionem persua-  
deat. Sic vidcas nonnullos deceptos adeò, vt non tantùm solita  
pietatis exercitia prorsus omittant, ne iis exhibendis veniali se  
peccato contaminent; sed vt abjectis animis, ne propositum  
quidem firmare audeant vitandi peccata venialia, quasi ea de-  
creta omninò frustranea essent; imò etiam mala, ob assiduum ex  
infirmate humanâ relapsûs periculum. Quæ quidem omnia,  
manifesta terriculamenta sunt Diaboli: atque adeò aculei qui  
eiusmodi suggestionibus armantur, contemnendi prorsus sunt;  
dolorique quantumvis videatur sanctus, qui in tam infelices  
fese protendit propagines, magna imprimis adhibenda est  
moderatio, ne in labruscas tandem degeneret & fructus ama-  
rissimos, dum sanctitatis specie, vuas promittit, & vina me-  
racissima.

Memoria  
peccatorum  
condemna-  
rum qua  
mentē tur-  
bat, à Dæ-  
mone est.

*Tertiò*. Quòd si autem pœnitentiâ jam peractâ, peccatisque  
Exomologesi seriâ expiatis, rursus præteritorum scelerum me-  
moria subeat, & aut prioribus dum adhuc eras sceleris reus, aut  
etiam majoribus Conscientiæ stimulis vrgearis, sic vt de expiatio-  
ne gratiâque à Deo factâ ambigere, nouamque incipias Con-  
fessionem moliri; præsertim si cogitationes eiusmodi magnam ex-  
citant tempestatem: ne quæras quis aculeorum eiusmodi auctor  
sit; manibus tenetur Dæmon.

39.

Ad quos a-  
ctus excites  
memoria  
veterum  
peccatorum  
qua à Deo  
est.

Longè enim alia est, quæ à Deo oritur, præteritorum scelerum  
quorum facta est gratia, recordatio. Reminiscuntur, fateor, pec-  
catorum veterum Sancti, sed placidè. Recordantur enim *Primò*,  
vt ea rursus detestentur, sed animo prorsus tranquillo. *Deinde*,  
vt grates immensas agant olim offenso Numini, ob gratiam sce-  
lerum sibi tam benignè præstitam. *Tertiò*, vt ingentem in se fi-  
duciam excitent, fidantque non defuturum sibi Dei patrocini-  
um bona volentibus & benè etiam pro virili agentibus, cum tam  
propitium sibi Numen, etiam dum hostes essent & rebelles, sint  
experti. *Quartò*, recordantur scelerum, vt antea actæ vitæ memo-  
ria, præsentis exemplum sit, & præcautio, ne in eadem posthac  
incidant discrimina, quæ tam feliciter euasere. *Quintò* denique  
vt in amorem inardescant tam boni Dei & sibi tam benigni,  
offen-

40.



offensasque prateritas majori obsequio, & amoris noui impendio studeant compensare. Hæc sunt quæ mentibus ingerit prateritorum, dum à Deo est, scelerum recordatio. Tranquilla est, serena est, sancta est; & Cælum vnde delapsa est redolet.

41. Vbi ex aduerso turbulenta illa anteaactæ, & jam expiatæ vitæ memoria, natiuum solum spirat vnde exorta est; Infernum dico, *terram miserie & tenebrarum, vbi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Quid autem ex tali regione adferri possit, nisi quod turbidum sit, inordinatum, & turbulentum? Atqui vt rectè Sacræ paginæ, *non in commotione Dominus, non in ventorum turbine; non in flammis vsquequaque diffusis Eliæ apparuit Deus, sed in sibilo aure tenuis.* Placidus est genius Dei; & vbi placidè agitur, neque exercentur odia, serenum spirat. Hæc quoque D. Ignatii est obseruatio. *Eorum, inquit, qui promouent in bono salutis, animis se insinuat vterque spiritus diuerso modo. Bonus quidem leniter, placidè, ac suauiter, sicut aque stilla in spongiam illabens; malus vero duriter, implacidè, & violenter, cum strepitu quodam, sicut imber decidens in petram.* Non sufficit nempe seditioso Dæmoni, strepitu & tumultu cælos complessè, nisi & terram inuoluat turbine: neque sat magnum lapsu suo fragorem è cælo dejectus excitasset, nisi & mentibus innocentissimis durus allaberetur hospes, pacemque suam dum non potest consequi, alienam interturbaret; semper sibi similis, semper turbulentus. Et hæc quidem variorum spirituum, seu aculeorum est natura.

42. Quarto igitur. Si post grauià à te commissà scelera, nullâ tam prostitutæ vitæ pœnitentiâ tangeris, nec vllos à Conscientiâ tibi stimulos admoueri persentiscis, non est quòd te palpem: timeo certè ne conclamata sit res. Actum est de vitâ, dum malum ita increbuit, vt & vim morbi æger non sentiat, & Medicus ipse adhibere medicinam præ desperatione aut tœdio deditur. Ne tibi ablandire quisquis tibi criminis conscius es, & tamen agis bellè & hilariter. Non te admordet scelerum Conscientia, quòd jam te deseruerit forsàn Deus. Neque vicarias Dei partes agit Conscientia, vbi medicinam omnem subtrahit, pertinaciâ nimia defessum Numen. Quid de te statuerit, equidem nescio: istud scio, pertentari nonnumquam Dei patientiam,

Probatum  
vtraque  
de conscientia.

Iob 10.  
v. 12.

3. Reg. 13.  
v. 11.

D. Ign. in  
regulis se-  
cundis de  
discern.  
Spir.  
Reg. 7.

Qui dum  
peruersè  
vult sti-  
mulos Con-  
scientia non  
sentit, ti-  
mendū est  
ne sit desor-  
tus à Deo.



tiam, & vt sic dicam, superari peccatoris contumaciâ; medicamque manum prorsus subtrahi, dum beneuolam peccator pertinaciter aspernatur. Genium suum disertè apud Ieremiam exponit Deus ipse. *Curauimus Babylonem, & non est curata. Derelin-* Ier. 51. v. 9.  
*quamus eam, & eamus unusquisque in terram suam: quoniam peruenit usque ad cælos iudicium eius, & eleuatum est usque ad nubes.*  
 Silet itaque nunc Conscientia, ideò quòd causa ad tribunal supremum Dei retracta jam sit. Domesticum tribunal fileat, nam peruenit usque ad cælos iudicium eius, neque à subalterno Iudice quidquam in terrâ mouetur, quia eleuatum est usque ad nubes iudicium.

*Adhortatio ad oblituitos peccatorum.*

Hæc audis peccator, nec expauescis? eòne causam tuam vis protrahi, vnde nulla dabitur appellatio? Interim ne tibi de Conscientiæ silentio plausum des. Horrendum enim uerò est silentium & omni clamore terribilius. Neque verò quæ tacet modo, tacebit semper. Age nunc pro libidine & lubentiâ; vitæ commodis utere & abutere; os obstrue arguenti te Conscientiæ. Verùm dum ad vitæ scelerumque metam perueneris, silentium soluet illa; & tum demùm sensum animi aperiet in luctus tuos. Tum verò nequidquam ingemisces miser, tum patrocinantem Dei manum frustra exposces, tum præ mœre vndique diffuses, aculeisque vnde quaque sese ingerentibus, dolori tuo nequidquam implorabis medicinam, atque vtinam dolor hic, æterni non sit prodromus, aut initium.

*Si peccato commisso pungeris & ad penitentiam cum fiducia obtinenda gratia reuocaris, scias hanc vocem esse Conscientiæ.*

Quintò itaque, si, quòd propitius auertat Deus, ita fors aut imbecillitas, aut etiam peruersitas tua tulerit, quisquis es Mortalis, vt mortiferi te facinoris reum sagax Conscientia inuenerit, atque in ipso scelere deprehenderit: & si tam infeliciter deprehenso manus quasi injiciat, indignitatemque facti cœperit exprobrare, contemptam sese criminetur, contemptam in se Numinis maiestatem, contemptum jus omne & fas: hæc, inquam, & similia si in mentem veniant, nullâ tamen diffidentiâ consequendæ gratiæ intermixta, quin potiùs magnâ eam obtinendi cum fiducia; certò tecum statue, Conscientiæ tibi fauentis, has voces esse: Pædagogum, inquam, non ad eò castigantis te, quàm corripientis & ad meliora reuocantis, si non dulces, amicos tamen sibilos.

*Illam si sapias illud sequeris, vt tecum tibi bene sit.*

Eos autem cum exaudis, si sapias sequere, neque aliâ infistas viâ. Errabis proculdubio turpissimè, si aliam persequeris, dum duceris aliâ. Idcirco è Christi consilio: *Esto consentiens aduersario tuo citò,* Math. 5. v. 25.

*dum*



*dum es in viâ cum eo; ne fortè tradat te aduersarius Iudici. & Index tradat te Ministro.* Aduersarium vocas Conscientiam, quia fortè ingrata præcipit, aut durius exorbitantem corripit: interim amicus est, & Pædagogum agit, non aduersarium. Esto itaque ei consentiens, inquit Christus, dum adhuc in viâ es, id est in vitæ ne contemptus à te, Iudicis partes, & tandem etiam carnificem agat tuo malo truculentum. Neque verò tibi persuadeas, aut blanditiis inflectendum, aut pollicitationibus demulcendum, aut tandem etiam decipiendum falsimoniis: his quidem humana circumueniri possunt iudicia, Conscientia verò numquam decipitur. Non denique manus eius facile effugies; quis enim seipsum effugiet? Quocumque te conuertis, te circumgestitas, doloris tui initium & complementum. Nullum itaque rebus perditis superest consilium, nisi vt manus des, sedusque iicias cum offensâ Conscientiâ sincerum & stabile. Denique cum eius genii sit & indolis, vt nullâ ratione sperari possit, eam in partes tuas concessuram, tuæque perfidiæ consensuram, *esto tu, si sapias, consentiens aduersario tuo,* ne pergat aduersari. Cum irato Deo pacem fac, vt tandem aliquando depositâ peruicaciâ, pacem obtineas & lætam & constantem, tibi que bene sit à teipso, a tua, inquam, Conscientiâ quæ dum *in viâ es,* partes agit vicarias Dei.

